

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Philosophica De Omnipraesentia, Eivsqve, Qvatenvs Ad Corpvs Refertvr, Possibilitate

Lilienthal, Theodor Christoph

Regiomonti, [1740?]

VD18 13449117

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

DE OMNIPRAESENTIA , EIVSQVE QVATE-
NVS AD CORPVS REFERTVR, POS-
SIBILITATE.

§. I.

Qui totius cuiusdam cogitat partes , realiter a se *Quid sit* inuicem distinctas , sed in vno quodam coexi- *Extensio?* stentes ; ille cogitat extensum . *Extensio* igitur , erit plurium extra se inuicem positarum partium coexistentia in vno .

Quum extensi abstracte spectati partes , non alio veniant respectu , nisi quatenus extra se inuicem positae sunt , atque vnum constituant totum ; extensem abstracte spectatum partibus gaudebit perfecte similibus . Tale vero extensem in se & solitarie spectatum , existere nequit , quum nec partium limites , nec aliae determinationes intrinsecæ , sine quibus tamen nihil existere potest , (per princ. Metaph.) eius ingrediantur definitionem .

§. II.

Id , quod rei non absolute , sed altera demum simul *Quid reo* considerata conuenit , *relatio* audit . Quum vero mera re- *latio?* rum consideratio nihil realitatis eidem conferat ; *fundamen-* tum *relationis* , seu id , vnde eiusmodi intelligitur rela-*tio* , non extrinsece , sed in ipsis quaerendum erit rebus , quae ad se inuicem referuntur .

§. III.

Quemadmodum *ratio sufficiens* est id , praeter quod *Quid* nihil aliud requiritur , ut intelligatur , cur aliquid sit ; ita *actio?* agere quis dicitur , si rationem in se continet existentiae mutationis cuiusdam sufficientem . *Actio* ergo erit muta-*tio* status , relata ad sui rationem (§. 2) .

§. IV.

Vis vocatur id , quod rationem in se continet suffi- *Quid sit* cientem existentiae actionis . Quum enim sola existentiae *vis?*

A

actio-

actionis possiblitas nondum sufficiat ad actualem eius existentiam; aliud adhuc accedere debet huius possibilatis complementum. Sed impedimentum sublatum iam supponit, actionem alias ad existentiam peruenisse, nisi interuenisset. Non ergo nisi ex vi agentis intelligi poterit, cur aliquid existat. Quum vero posita ratione sufficiente, simul ponatur id, cuius est ratio sufficiens; posita vi, simul ponitur existentia actionis, nisi accedat impedimentum: id est, vis consistit in continuo agendi conatu.

§. V.

*Quid
corpus?*

Corpus (reale) est extensum vi praeditum.

In corpore ergo reali considerari possunt, vel extensio, vel modus compositionis, vel vis agendi (§. I. 4). In corpore inquam reali sive physico, de quo nobis in hac dissertatione tantummodo sermo est: *corpus* enim mathematicum sola constituitur extensio in longum latum & profundum. Sed iam notaui- mus (§. I.), extensem abstracte spectatum, per se existere non posse, vnde simus patet, non nisi in imaginatione dari corpus mathematicum, qua tale. Hoc vero non obseruant Cartesiani, qui corporis essentiam in sola constituunt extensio in triplicem dimensionem. Vid. REN. DES CARTES *Medit. de prima philosophia. Med. V. p. 27.* & eiusdem *Princip. Phil Part. II. § IV. p. 21. coll. Part. I. §. LII. sqq.* Hanc tamen corporis definitionem Cartesianam tanquam incompletam, ex professo oppugnauit III. GOD. GVIL. LEIBNITIVS *dans le Jurnal de Scavans A. 1691. p. 386. sqq.* & *A. 1693 p. II. sqq.*

§. VI.

*Substantia
quid?*

Vis corpo.

Substantia est subiectum perdurable & modificabile. Extensem abstracte spectatum per se non existit (§. I.) hinc existentiam continuare nequit, ergo non est perdurable. Quum vero nihil modorum sustinere possit successionem, nisi perdurable sit, extensem nec modificabile erit. Quicquid ergo corpus habet substantiale, non nisi ex

AD CORPVS RELATAE, POSSIBILITATE.

3

ex vi sua habet (§. 5.). Adeoque vis corporis constituit *vis substantiam*, extensio eiusdem tantummodo est *accidens*; *tuis substantiam*, & quicquid ex hac fluit, *accidentale itidem est*.

Patet hinc, quo sensu illi. LEIBNITIVS omne ens vi agendi praeditum, substantiam dicat *Vid. Acta Erudit. A. 1694. p. 110. sq.* *A. 1695. p. 145. sq. A. 1698. p. 422. sqq.* Sed conferri etiam potest FRID. GLISSONIVS in libro *de natura substantiae energetica* Lond. 1672. edito.

§. VII.

Spatium est ordo simultaneorum, quatenus coexistunt. Quicunque ergo spatum cogitat, simul cogitat *quid?* extensem (§. 1.). Corpus est extensem (§. 5.), ergo spatium impletum implebit; quae tamen corporis adfectio, nec substantialis est (§. 6.), nec corpori intrinseca (§. 2. 5.).

Vacuum ergo spatium reale non datur: contradictorium enim esset, cogitare simultaneorum ordinem, vbi tamen nulla adesent simultanea. Si vero possibilem cogitare velis simultaneorum seriem, spatii imaginarii habebis notionem, quod aequa ut extensem concipere tibi debes, ast reuera existere nequit. (§. 1.) Ex eo vero, quod nullum spatum sine extensione concipi possit, inferunt Cartesiani, spatum ipsum esse corpus. Sed iam in praecedentibus (§. 5.) ostendimus, non solam extensionem corporis constituere essentiam.

§. VIII.

Situs est ordo coexistentium non continuorum, quatenus coexistunt. Quaecunque non sunt continua, illa *quid?* distant: hinc intelligitur situs ex distantia, sive linea breuissima inter duo corpora, quae, quum extensionis sit species, situs sine extensionis notione cogitari nequit. Positum est aliquid corpori ex continua corporis extensione, ponuntur quidem coexistentia, sed corpori ex eiusdem intelligi nequit. Sed nec ex vi ordo coexistentium

A 2

tinuum

tium non continuorum intelligi potest, quod per se patet.
Situs ergo, erit aliquid corpori extrinsecum (§. 2. 5.).

§. VIII.

*Locus
quid?*

*Corpus est
in loco.*

*Praesentia
est species
relationis.*

Locus est modus coexistendi cum aliis determinatus: determinari vero aliter (per experientiam) nequit, nisi per distantias, id est, per situm (§. 8.). Non ergo erit aliquid rei intrinsecum (per §. cit.). *In loco esse*, est determinatam quandam spatii implere partem. Corpus ergo in loco semper erit (§. 7.), & quidem eatenus, quatenus est extensum: ast tamen esse in loco, inter extrinsecas corporis referri debet determinationes (§. 8. 7. 2. 5.).

Quando aliquid in loco esse dicitur, tunc *vox locus*, latiori sumitur sensu, quem alias non nisi peculiarem denotet relationem distantiae corporum a rebus quibuslibet aliis. Vide IOH. LOCKIVM de intellectu humano Cap. XIII. §. 7. 10.

§. X.

Quando res quaedam *praesens* dicitur, hoc praedicatum ei conuenire, non intelligitur, nisi altera re simul specata, cui *praesens* est, id quod ex terminis clarum est; tamen *praesens* esse enim inuoluit, 1) rem, quae existit, 2) rem, cui prior *praesens* est. *Praesentia* ergo inuoluet relationem vnius existentis ad aliud, a seipso diuersum: adeoque relationis erit species (§. 2.).

In *praesentiae* igitur definitione, relatio erit genus. (per princ. Log.) Si vero differentiam specificam inuenire velimus, in fundatum huius relationis inquiramus, necesse est; ita enim patebit, quonodo haec relatio ab omnibus aliis relationibus differat. Hoc ipsum vero non aliter fieri poterit, nisi remotis 1) omnibus determinationibus extrinsecis (§. 2.), quippe quae non nisi ad individua discernenda faciunt: 2) probe consideratis determinationibus intrinsecis, remotisque iis, ex quibus relatio inter res *praesentes* intelligi nequit.

§. XI.

§. XI.

In corpore mihi praesente nihil aliud deprehendere *Definitio* possum, nisi quod extensione, figura, atque vi gaudeat *praesentiae* (§. 5.), spatium impleat (§. 7.), situm quemdam erga me ha- *per refle-* beat (§. 8.), locum occupet determinatum, a loco quem *xionem* ipse occupo diuersum (§. 9.), & in organis meis sensoriis *formatu*, mutationes quasdam producat. Quum vero, nec τὸ im- plere spatium, nec situs, nec locus quem occupat corpus, ad determinationes eius pertineant intrinsecas (§. 7. 8. 9.): nihil quoque facient ad corporis praesentiam (§. 10.) Ast, nec ex sola partium realiter inter se distinctarum notione, earumque limitatione, figura, intelligi potest, relationem quandam inter corpus illud & me adesse, relatio enim po- situum quid est, numerus partium vero mera limitatio. Hinc nec extensio, nec figura quicquam conferet ad praes- entiam (§. 10.). Nihil ergo remanet, quod relationis, quam corpus mihi praesens erga me habet, possit esse fun- damentum, nisi eiusdem vis, quae ita sese exserit, ut in organis meis sensoriis mutationes producat, siue quod idem est, in illa agat (§. 3.). Si ergo relationis terminos generaliores facere velimus; *Praesentia* erit relatio rerum a se inuicem distinctarum, qua in se inuicem agunt (§. 10.11.).

Quum extensio (per demonstr.) nihil faciat ad praesentiam, τὸ spatium implere autem, situs, & locus ex notione extensionis consequantur (§. 7. 8. 9.): vel ex hoc fundamento patet, nec spatii, nec situs, nec loci notiones, *praesentiae* definitionem ingredi posse. Descriptionem quidem dare possum corporis praesentis, per situs atque loci determinationem, nullam vero definitionem: situs enim & locus, mutari possunt, salua praesentia. Sic describere alicui possum librum quendam in bibliotheca praesentem, per locum, quem in repositorio occupat: si autem ordinem librorum in repositorio mutas, liber iste alium

iam occupabit locum, sed nihilo tamen minus in repositorio praesens manebit, licet alio modo, quam antea. Patet ergo, locum non esse illud, quod praesentiam constituit.

§. XII.

*Definitio
per abstra-
ctionem
formata.*

Realitas definitionis, quam §. praecedente per *praesentiae* flexionem formauimus, adhuc clarior fiet, si diuersas *praesentiae* species inter se conferamus, atque per abstractiōnem, generis inde formemus notionem. Res de quibus praesentia praedicari potest, sunt vel composita, vel simplicia. Quicquid ergo composito praesenti quidem competit, simplici vero non item, vel huic, sed non illo; illud ex *praesentiae* notione exulare debet, retento demum eo, quod & composito & simplici praesenti conuenit (per princ. Log.). In composito praesente, praeter vim agendi, deprehendimus extensionem, spatii impletionem, situm & locum. Sed omnia ista, praeter solam vim, de simplici praedicari nequeunt: nimurum, nec extensio, quia simplex partibus caret (§. 1.), nec τὸ implere spatium, quia hoc ipsum extensionem inuoluit (§. 7.), nec situs & locus quia supponunt extensionem & spatii expletionem (§. 8.9). In simplici autem, praeter solam vim eiusque limitationem, nihil praeterea cogitari potest (per princ. Metaph.). Quum vero & composita vi polleant, nec aliud quid in illis deprehendatur, quod de simplici simul adfirmari posset: patet, ex sola vi praesentiam deriuandam esse, quae, quum (per §. 4.) in continuo consistat agendi conatu, continuo sese etiam exseret, si nullum intercedit impedimentum.

Definitionem nostram confirmat loquendi usus. Sic medicinam, quae vim suam medendi atque efficaciam illico exserit, vocamus *praesentissimam*. Similiter qui statim, quando ope sua quis

AD CORPVS RELATAE, POSSIBILITATE.

quis indiget, eadem praesto est, *praesentissimum* praestare diciatur auxilium. Nec alio respectu, anima corpori praesens esse potest, nisi quatenus mutationes in corpore respondent mutationibus per vim animae repraesentatiuam productis, & vice versa: haec enim dum cessat harmonia, homo moritur, nec anima amplius corpori praesens est. Et sic ipsa anima ideo vocatur *vis repraesentativa* huius vniuersi, quia ad res in vniuerso refertur, in quibus mutationes producit. Huc etiam spectat *praesentia* illa animae, quae Gallis *præsence d' esprit* audit, atque sagacioribus tribui solet, qui habitu quodam insigni gaudent attendendi, atque in genere, vi sua repraesentativa videnti. Posset & illa huc referri loquatio, qua anima alicubi praesentes dicimus, licet corpore absentes simus, quippe quatenus vim nostram repraesentatiuam adplicamus ad reproducendas rerum imagines. Quamuis si accurate loqui vellimus, hoc ipsum veri nominis *praesentia* dici nequeat, sed eius modo analogon: non enim rebus ipsis praesentes tunc sumus, sed earundem imaginibus, quae ab ipsa anima diuersae non sunt; vt proinde idem sit illud, quod *praesens* est, atque id, cui *praesens* est. Caeterum consentit cum nostra *praesentiae* notione Cel. IO. PETR. REV SCHIVS, qui §. 546. *Metaph.* dicit, *vbi adest substantiale entis, ibi praesens est.* Substantiale enim entis in vi consistit. Consentit & Cel. ISR. THEOPH. CANTZIVS in *usu Philos. Wolffianae in Theol.* Tom. I. Cap. VII. §. 5. pag. 314, qui sequentem *praesentiae* suppeditat definitionem: *praesentia rei ad rem est status, cuius gratia res in rem aut agit, aut agere potest, res a re patitur, aut pati potest, vel immediate sine interventu ullius rei alterius, vel sine intercurso saltim plurium.* Adde EIVSDEM *Turisprudentiam ciuitatis DEI publicam* §. 471. Consentit tandem & Celeb. CHR. WOLFFIVS *Theol. Nat. Part. I.* §. 1018. *praesentiam definiens per relationem entium quoad coexistentiam, ideo quia coexistunt quoad determinationes intrinsecas, vel actu a se inuicem dependentium, vel dependere saltim valentium:* quae definitio a nostra in eo tantum differt, quod

quod nostra determinationes illas intrinsecas, siue relationis fundamentum clarius exponat.

§. XIII.

*In vacuo
nihil praef-
sens esse
potest.*

Quaecunque ergo ad se inuicem relata, in se inuicem agunt, illa praesentia sibi inuicem erunt (§. II. 12). E contraria vero parte, vbiunque nihil adest, quod agere possit, vel in quod agi queat; ibi nihil praesens erit: contrariorum enim contraria est ratio. In spatio imaginario siue vacuo nihil adest, quod mutationem in aliis producere, vel ab aliis mutari possit (§. 7). Ergo in vacuo spatio nihil potest esse praesens (§. 3).

Accipe idem aliter. Posito uno relatorum, ponitur & alterum (per princip. Metaph.). Praesens, & res cui quid praesens est, sunt relata (§. 10.) Ergo posita re praesente, poni simul debet aliquid, cui praesens sit. In vacuo, siue spatio imaginario nulla reuera adsunt simultanea, adeoque in illo concipi nequeunt duo, quorum vnum hac ratione ad alterum referatur (§. 7.). Ergo in vacuo nihil potest esse praesens. Si ergo ens existit, practereaque nihil, nisi spatium imaginarium: praesens illud in spatio imaginario dici nequit.

§. XIV.

*Praesentia
inuoluit
adias-
tias sub-
stantia-
rum.*

*Sed cum
operatione
coniun-
ctam.*

Quicunque cogitat praesentiam, cogitet simul, necesse est, operationem rei praesentis (§. II. 12. 13). Operatio sine vi agentis cogitari non potest (§. 4.); haec vero entis constituit substantiam (§. 6). Substantia ergo entis agentis aderit in qualibet sui operatione. Nulla proinde concipi potest praesentia, nisi simul substantiam entis quod praesens est, adesse cogites: siue quod idem est, praesentia inuoluit adiastias, adessentiam substantiarum.

§. XV.

Quum contradictoryum sit, vim adesse, nec tamen agendi exercere conatum (§. 4.); substantiac vero vi prac-

praeditae sint (§. 6) : patet , nullam adesse alicubi posse substantiam , absque continua actione atque operatione . Proinde nec praesentia , in otiosa substantiarum absque operatione *adiasatia* sive adessentia consistere potest . Potius , ex sola operatione , veluti effectu , ad causam sive substaniam praesentem concludere possum : immo ex mutatione per eandem producta , atque adhuc conspicua , ad eius praeteritam rite concludere possum praesentiam .

Scholastici sensu absoluto & philosophico , praesentiam per *solum* definiunt *otiosam adiasatiam & adessentiam in loco , sive spatio* , ita illam distinguentes a praesentia , sensu biblico sumta . Conf. Cel. ISR. TH. CANTZIVM in Vsu Phil. Wolff. in *Theolog. Tom. I. Cap. VII. §. 5.* Sed distinguunt minime distinguenda ; ita enim coniuncta est substantiae *adiasatia* cum operatione , ut vnum sine altero , ne quidem cogitari queat (§. 14) . Praeterea idem per idem definiunt , quum *adesse* , & *praesens esse* vnum idemque sit . Tandem notionem spatii & loci imminent definitioni , quam tamen exulare ex eadem debere , supra (§. 11. 12.) monuimus .

§. XVI.

Quae de praelentia in genere dicta sunt , valebunt *Quae di-*
& de corporum praesentia . Nimurum , corpus quod *praesens* est , rei cui *praesens* est , substantia sua adesse debet *Etia sunt*
adplican-
(§. 14.) , simulque in eandem operari (§. 15) . *Praesens* *tur ad cor-*
ergo erit , non quatenus est extensum , sed quatenus vi *porum*
pollet (§. 5. 6) . Locum vero occupat , quatenus est exten- *praesena-*
sum (§. 9.) ; non igitur eatenus *praesens* erit , quatenus est *tiam.*
in loco .

Vltimam hancce §. propositionem , supra (§. 10.) evictam iam dedimus , indeque , remotis simul reliquis , quae nihil faciunt ad praesentiam corporis , ostendimus , quo demum respectu corpus *praesens* dici queat , interim quum eadem propositio ex

B

defini-

definitione praesentiae per abstractionem formata (§. 12.) fluat, eandem hoc loco seu corollarium repetere, eo minus dubitauimus, quo frequentius vulgo extensionis atque localitatis notio ad praesentiam referri solet. Trta satis est distinctio inter praesentiam *localem*, *definituam*, & *repletuam*, sed ad diuersas tantummodo entium, quibus praesentia competit, species discernendas excogitata: vnde non possunt non plures accedere determinationes speciales, ab aliis singularum specierum affectionibus desumptae, quae tamen ad generis notionem non pertinent (per princ. Logic.). Nimurum, quando praesentiam *localem* mihi repraesento, nec de spirituum finitorum, nec de summi Numinis praesentia cogitare possum, sed de sola corporum praesentia, quippe quae vnicē in loco esse possunt (§. 11. 9), adeoque localiter praesentia sunt, h. c. ita, ut simul in loco sint. Quis vero exinde inferre vellet, nullum corpus aliis praesens esse posse, nisi cuius limitibus circumscribatur? Nam (vt exemplo Cel. WOLFFII *Theol. Nat. Part. I. not. ad §. 1038.* vti liceat) sol, qui corpus est, localiter semper praesens est, sed non *localiter praesens est in horto*, ita ut horti limitibus circumscribatur. Interim praesens est horto, effectus enim lucis & caloris de eius testantur praesentia, & quidem localiter praesens; dum enim horto praesens est, locum occupat in coelo.

§. XVII.

*Corpus ea-
tenus prae-
sens est,
quatenus
constat ex
simplici-
bus.*

Corpus manet extensum vi praeditum, quaecunque etiam in eo fiat mutatio, siue aliquid addas, siue auferas, siue partes aliter disponas (§. 5.), usque dum diuidendo peruenias ad simplicia, quae, nisi in infinitum (quod tamen impossibile est) progredi velis, adsumere tandem debes. In his vero, quippe quae extensione carent, non nisi vis cogitari potest. In corpore ergo, nihil inest vis, nisi quatenus ex simplicibus constat. Quum vero in corpore nihil reperiatur substantialis, praeter solam vim (§. 6.);

(§. 6.); simplicia corpori dabunt substantiam suam. Quum praeterea corpus praesens sit, non quatenus extensum est, sed quatenus vi pollet (§. 16.); patet, corpus non aliter praesens esse, nisi quatenus ex simplicibus constat.

§. XVIII.

Quum vero corpus ex pluribus constet simplicibus, *Quomodo*
quae vim suam constituunt (§. 5.), vna autem earum ope- *differat*
rari possit, dum altera non operetur: corpus altera sui *praesentia*
parte praesens esse potest, altera absens. Simplex vero, *corporis, a*
quod extensione caret, adeoque ita diffundi nequit, vt al- *simplis*
ter pars praesens sit, altera non item; si praesens est, to- *praesentia.*
tum praesens erit.

§. XVIII.

Praesentia ex sola intelligitur vi operandi (§. 15.). *Dantur*
haec vero maior vel minor esse potest (per experientiam), prae-
Dantur ergo prae-
sens esse potest, quam quidem aliud: quo maior enim
cius est actio, eo maior etiam prae-
sentia.

Exempla sunt obvia. Sic v. g. si quis in hypocausto cantet, in
 platea vero cohors militum tympanis pulsantium praetergre-
 diatur, strepitus tympanorum maior erit, quam sonus cantu
 excitatus, maiorique efficacia organon auditus adficiet, hinc
 magis mihi praesens erit, quam quidem cantus, licet hic pro-
 pior mihi sit, eodemque circumscribatur loco. Sic, quando
 attendo ad vnum simultaneorum, omnia mihi quidem sunt
 prae-
sentia, atque vim meam repreäsentatiā quodammodo
adficiunt, sed vnum prae aliis, ad quod quippe attendo, cla-
riorem producit sui ideam, hinc magis mihi praesens est,
quam quidem reliqua, & ego rursus magis eidem praesens
sum, dum attendendo vim meam repreäsentatiā magis ad
hoc vel illud applico, quam quidem ad reliqua. Spectat hoc
quoque exemplum supra (§. 12.) adductum, de prae-

(presence d'esprit), qua quidam prae aliis praediti dicuntur. Caeterum, quo plura inter duo sibi inuicem praesentia intercedunt alia, iisdem tamen manentibus, nec auctis viribus, quibus praesentia in se inuicem operantur, eo difficilius vires exertere sese poterunt. Hinc Cel. CANTZIVS in Vsu Pbil. Wolff. in Theol. Tom. I. Cap. VII. q. 7. praesentiae gradum determinat ex interpolatione plurium, pauciorumue. Non vero ex sola extensione gradus praesentiae determinari possunt, ita ut, quod mole maius est, magis quoque praesens esset, quam aliud, quod non tanta mole gaudet: ab extensione enim ad multitudinem tantum simplicium, h. e. virium corporis concludimus (§. 17.), quae tamen singulae, intensione sua maximopere differre inter se possunt, immo reuera differunt. In corpore ergo mole maiori praedito, non solum plures eiusdem partes absentes esse possunt (§. 18), ut adeoque iam hoc respectu, minus magis praesens sit; sed & simplicia corporis maioris, non tantam habere possunt efficaciam, ac quidem minoris, vnde minus iterum maiori gradu praesens erit, quam maius.

§. XX.

*Omniprae-
sentia
quid?*

Quum gradus virium intensione sua in infinitum crescere nequeant (per princ. Metaph.); patet, supremum dari praesentiae gradum, quo maior cogitari nequit (§. 19). Talis vero praesentia, *omnipraesentia* adpellari solet. Quum igitur omnipraesentia ad omnia omnino referri debeat (§. 10. 11.); *adiasatia* substantiae entis omnipraesentis involuet ab omnibus in vniuerso rebus (§. 14.), vim absolute maximam omni limitatione carentem, i. e. conatum agendi simultaneum in omnia (§. 15. 4.), & quum huic nihil resistere possit, simultaneam in omnia operationem (§. 12. 15) *Omnipraesentia* ergo, erit simultanea efficacissimaque vis absolute summae in omnia operatio.

Consentit Cel. WOLFFIVS Theol. Nat. Part. I. §. 1054. *omni-
prae-*

praesentiam ita definiens; *omnipraesentia est praesentia ad omnia entia a se diuersa extensa.* Conf. & definitionem praesentiae ibidem §. 1018. suppeditatam. Notamus vero, nos per *omnia*, sola intelligere actualia, ad quae scilicet realis potest esse respectus. De praesentia enim proprie sic dicta sermo nobis est. Possibilia ergo, quatenus sunt possibilia, merito excluduntur, quum illis non nisi vi animae repraesentatiua, atque cogitatione praesentes simus. Quis vero non videt, eiusmodi praesentiam idealem tantummodo esse, non realem? Non enim adsunt *diuersa*, ad se inuicem relationem quandam habentia, quae tamen per praesentiae notionem requiruntur (§. 10. 11. 12).

§. XXI.

Quicquid omnem omni respectu mensuram, omnes. *Differt ab que plane respuit limites, immensum adpellare solemus. Sed Immensum quicunque omnipraesens est, nullam vis suae agnoscit sitate.* mensuram (§. 20.), erit ergo, si vim suam spectes, immensum quid. Quum vero & alii sint respectus, quibus aliquid immensum dici possit, v.g. duratio, scientia, potentia, *ceter.* equidem quicquid immensum est, omnipraesens quoque sit, necesse est; sed vice versa omnipraesentia, notione sua nondum inuoluit immensitatem.

§. XXII.

Omnipotentia, est facultas producendi omnia, quae *similiter contradictionem non inuoluunt.* Sed a posse ad esse nulla *ab Omnipotentiis valet consequentia* (per princ. Metaph.): *omnipraesentia potentia.* vero realem in omnia inuoluit operationem (§. 20). Hinc ab omnipotentia sola, ad omnipraesentiam concludi nequit,

Nimirum duo in omnipraesentia consideranda veniunt momenta: 1) fundamentum operationis illius, quam ens quod omnipraesens est, in omnes in vniuerso res exserit, quod est omnipotentia; 2) ipsa operatio, quae ex potentia illa fluit, quae demum omnipraesentia est (§. 20). Differunt ergo omnipotentia

tentia & omnipraesentia, ut principium & principiatum; omnipotentia enim rationem in se continet omnipraesentiae, ast minus sufficientem, quum possibilitatis operationis accedere adhuc debeat aliquod complementum, in voluntate illius, qui omnipraesens est, quaerendum.

§. XXIII.

Nec minus ab omniscientia. *Omniscientia* est simultanea, distinctissimaque omnium possibilium repraesentatio. Quum vero scientia rei alicuius, nihil in re ipsa mutet, quod per se patet, proinde nec omniscientia; praesentia vero operationem quandam in rem, cui praesens quid est inuoluat (§. 11.), quae mutationem in eadem necessario includit (§. 3): patet, omniscientiam diuersam esse ab omnipraesentia. Quum praeterea omniscientia non solum ad actualia referatur, sed etiam ad possibilia, omnipraesentia vero tantummodo ad actualia (§. 13.); & hoc respectu diuersa erit omnipraesentia ab omniscientia.

Nec obstat praesentia, quam vocant visionis, vbi qui aliquid cogitat, rei quam cogitat praesens esse dicitur. Sic Paulus se apud Corinthios praesens spiritu suis testatur, licet corpore absens fuerit. 1. Cor. V. 3. Nam accurate loquendo non ipsa res quam quis cogitat, praesens ei est, sed eius tantummodo idea, quam ut possibilem sibi repraesentat. Quum vero talis idea ab ipsa anima diuersa non sit (per princ. Psychol.), praesentia vero res sibi innicem praesentes, a se inuicem distinctas supponat (§. 11. 20.) cogitatio rei, nullum veri nominis inuoluet praesentiam, adeoque nec omniscientia omnipraesentiam. Sunt & inter Philosophos, qui omniscientiam quodammodo referunt ad omnipraesentiam. Sic Cel. GEORG. BERNH. BILFINGERVS Dilucid. §. 455. quando, inquit, omnipraesentiam DEI cogito, cogito distincte omniscientiam eius & omnino operationem. Similiter Cel. IO. CHR. GOTTSCHEDIVS Diff. de genuina omnipraesentiae diuinae notione §. X: Omniprae-

praesentiae vocabulum, inuoluit, non tantum distinctam omnium rerum cognitionem, verum etiam constantem in omnia existentia operationem. Ait talis mihi definitio latior videtur definitio, quum, ut ex dictis clarum esse potest, omniscientia plane non pertinet ad omnipraesentiam, licet cum illa coniuncta esse possit. Et si vel maxime concederem, omniscientiam quodammodo adpellari posse omnipraesentiam, erit omnipraesentiae modo species, idealis nimirum atque inpropre sic dicta, non vero actualis: unde nec generatim omnipraesentiae notio, omniscientiam simul includit.

§. XXIII.

DEus est ens simplex perfectissimum, qui proinde DEus per omnes realitates compossibilis possidet in gradu absolute suam summum. Quum vero vis omnium consensu inter realitas referatur, haec etiam in gradu absolute summo DEo *omniprae-*
sens. competit. Sed talis vis absolute summa, nunquam non exercere sese potest ad omnia (§. 4). DEus ergo erit omnipraesens (§. 20). Sed vis infinita DEI, *natura diuina* adpellari solet; DEus ergo per naturam suam erit omnipraesens.

§. XXV.

Quia DEus per naturam suam est omnipraesens (*Omniprae-*
§. 24.); eius non solum substantia (analogice & per emi-
nentiam sic dicta) omnibus in vniuerso rebus indistanter *uina quid*
& intime aderit, sed operabitur quoque in omnia (*§. 14.* *inuoluit?*
15. 20.). Quum vero omnis actio vel circa rem adhuc producendam versetur, vel circa iamiam productam; omnia autem quae sunt in vniuerso, ad existentiam olim peruerenterint, dum antea non extitissent, eandemque a se ipso nec conseruare possint existentiam; sed utrumque DEo acceptum referant (per princ. Metaph.): duae potissimum

simum erunt omnipraesentiae diuinae species , creatio & concursus. Creatio versatur circa res producendas , concursus circa creatas. Sed concursus iterum, diuersimode circa res creatas exserere sese potest , vnde nouae exsurgunt praesentiae diuinae species subalternae ; quod, si obserues, omuem in genere praesentiam suos agnoscere gradus (§. 18.) , omni carebit dubio.

Non ergo implicat, DEum, qui omnibus in vniuerso rebus praesens est, adhuc peculiari modo, id est, noua eademque efficissima operatione, huic illiue praesentem esse ; *quot enim sunt diuinorum operationum species, tot gradus praesentiae DEI constitut possunt,* verba sunt IOH. GERHARDI in loc. Theol. de natur. DEI num. 119. p. 71. Scholasticos, qui nudam substantiae Diuinae absque operatione *adiasatias*, ad praesentiam sensu philosophico sumtam, sufficere putant, supra (§ 15.) notauimus. Sane nullum, ne minimum quidem singi potest temporis interuallum, vbi creatura a DEo dependere, siue rationem existentiae suae in DEo habere , desinat. Si vero DEus indistanter creature adesse posset, sine operatione, tunc non amplius creatura rationem existentiae suae in DEo haberet, sed independens h. e. ipse DEus esset : quod quum contradictorium sit, patet , DEum absque operatione *adiasatias* creature praesens esse non posse. Multo peior vero illa Epicureorum est sententia , quae DEum ab omni operatione, mundum nostrum concernente, siue creatio illa sit, siue conservatio vel concursus, excludit, atque otiosum cum facit vniuersi contemplatorem , in intermundiis tantummodo degenerem, nec adeoque omnipraesentem. Sic Epicureorum sententias exprimit LVCRETIVS Lib. II. vers. 1094. sqq. p. m. 275. i

*Quis regare immensi summam, quis babere profundi
Indu manus validas potis est moderanter habendas?
Quis pariter coelos omneis conuertere? & omneis
Ignibus aethereis terras suffire feraceis
Omnibus ingue locis esse omni tempore praesito?*

Simili

Simili modo, hoc Epicuraeorum dogma describunt, CICERO
de nat. Deor. Lib. I. Cap. 18. & SENECA de beneficiis Lib.
IV. Cap. 19: pluribus vero conferendus est PETRVS GAS-
SENDVS in animaduers. in Libr. X DIOGENIS LAERTII
de vita, moribus placitisque Epicuri Tom. I. p. 374. sqq.

§. XXVI.

Mundus est complexus rerum omnium mutabilium, DEus non
simultanearum, & successuarum. Extra mundum ergo, ^{extra}
& ante mundum conditum, non nisi possibilis concipi po- ^{mundum,}
test rerum simultanearum series, siue spatium imaginarium ^{sed in rea-}
(§. 7). Sed in spatio imaginario, nihil praesens esse potest ^{latione ad}
(§. 13). Deus ergo, nec extra mundum, ^{cum, omnis-}
creationem, sed tantummodo in relatione ad mundum, ^{praesens}
omnipraesens dicendus est.

Non adserimus, DEum non esse extra mundum, quod omnino
nefandam dictu esset, sed, DEum praesentem non esse extra
hanc rerum vniuersitatem. Iam olim vero inter Philosophos,
in utramque partem ventilata est quaestio, an DEus extra
mundum, inque spatiis imaginariis, praesens dicendus sit, ad-
firmatiuam defendantibus illorum plurimis. Vide Cel. ISR.
THEOPH. CANTZIVM in Vsu Phl. Wolff. in Theol. Tom.
I. Cap. VII. §. 5. adde tamen Cel. WOLFFII Theol. Natur.
Part. I. not. ad §. 1054., qui scholasticorum ita explicat men-
tem, quasi statuerint praesentiae diuinae possibilitatem, in
omni mundo possibili: quamuis nec hac ratione eorundem
thesis procedere possit. Taceo, quod tunc omnipraesentia DEI
facile confunderetur, cum eius omniscientia; omnipraesentia
enim non ad possibilia, sed ad actualia, non ad illa quae in solo
intellectu diuino, sed quae extra illum existunt, refertur: id
quod iam aliquoties monuimus. Et quamuis omnipotentia
diuina eiusque omniscientia, nonsolum ad actualia referatur,
sed etiam ad possibilia; alia tamen ratio est omnipraesentiae,
quae realem semper postulat relationem, non sine reali itidem
operatione concipiendam. Distinximus itaque omnipraesen-

tiam ab immensitate , omnipotentia & omniscientia diuina (§. 21. 22. 23). Nimirum , DEus ab aeterno est omniscius, omniaque possibilia simul , & distinctissime sibi repraesentat. Ast possibilates rerum, antequam ad existentiam peruererunt, in solo intellectu diuino fundatae erant ; hinc iisdem praesens dici nequit (§. 11. 20). Similiter, DEus ab aeterno facultate pollet producendi , quae contradictionem non inuoluunt ; sed nec produxit , nec ideo conseruare potuit eorundem realitates, priusquam mundum conderet : adeoque nec hoc respectu praesens dici potest (§. 25). Tandem omnia attributa diuina, sine limitibus, & in gradu absolute summo, insunt DEo, adeoque ab aeterno immensus est. Vnde & vis diuina, nunquam non fuit immensa, ast non semper ad alia entia a DEo diuersa se- se exseruit ; quod, quum ad praesentiam requiratur (§. 11.): DEus ab aeterno omnipraesens dicendus non est. Relatio enim semper consideranda est, quam omnipraesentia inuoluit. DEus ab aeterno existit , ita tamen , ut eius existentia olim ad alia extra illum entia, relationem nondum habuerit. Antequam vero id , ad quod aliud ens refertur, existat, hoc termino relatiuo insigniri nequit. Sic nemo vocatur pater, antequam genuerit filium. Sic nec ipse DEus, ab aeterno creator fuit. Ex eadem quoque ratione, idem omnipraesens dicendus non est, priusquam res existant , quibus praesens esse possit. Si obiicis, DEum vtique ab aeterno creatorem fuisse , nimirum ob aeternam creandi potentiam , ita & ab aeterno omnipraesentem , dum mundum semper sibi repraesentauerit, cun- demque producendi , inque illum operandi, habuerit potesta- tem : respondeo, te confundere potentiam operandi, cum ipsa operatione , attributa diuina, cum praedicatis respectiuis , de qua pluribus conferrri potest distinctione, Cel. IO. PETR. REVSCHIVS in system. Metaph. 6. 874. sq. Omnipraesen- tia enim , accurate loquendo, non est attributum diuinum, vel praedicatum absolutum, quod cum DEo reciprocari posset; sed respectuum, & modi analogon , quum oppositum DEo absolu- te non repugnet; existentia enim mundi, in liberrima volun- tatis

tatis diuinæ electione fundata est. Facile ergo adparet, quid de *Anonymi* illius *Angli*, censendum sit sententia, qui in libello *Londini A. 1739.* edito, quem inscribit: *The analogy of reason, or de Doctrine of the Trinity proved by natural Principles*, in quo mysterium Trinitatis ex ratione demonstrare co- natur, distinguit, inter proprietates, attributa & perfectiones diuinæ. Ad proprietates vero, quas essentialibus rerum annumerat, refert omniscientiam, omnipotentiam & omnipraesentiam, de quibus sequentem in modum pag. 17. loquitur: *omniscience, omnipotence, omnipresence, are such everliving, selfsubsisting Properties as we do, and only can conceive, to belong to the divine Nature or Essence*, & pag. 18. pergit: *They are the three essential, unoriginated Properties of God, the very being and support of Gods attributes*; pag. 27. vero ipsam voluntatem diuinam, eius constituit omnipraesentiam; & pag. 32. dictas proprietates vocat aeternas. Sed haec veluti in transitu notasse sufficiat, quum ex dictis facile confutari possint,

§. XXVII.

DEus est ens simplicissimum, adeoque extensione *Omnipræ-*
carens (per princ. Metaph.); in loco igitur esse non po-*sentia diui-*
test (§. 9. 7). Quum vero rō esse in loco, nihil faciat ad *na illocalis*
præsentiam (§. 11.): DEus omnipraesens erit, et si non sit *est*
in loco (§. 24). Diuina ergo præsentia, nec localis est,
nec loco certo circumscripta.

Sic etiam illa Cartesianorum explicari posset loquendi formulæ,
quando DEum *nullibi* esse dicunt; a qua tamen, ob evitan-
dam aquiuocationem abstinentem esse, bene monet Cel.
WOLFFIVS *Theol. Natur. Part I. not. ad §. 1036.* Iudaei
Cabalistæ DEum appellant *וְיַהֲוֵה locum*, non quidem ita, quasi
credant, illum certo quodam loco circumscriptum esse, sed ut
ipse potius sit locus, omniaque impleret; quam thesin, anti-
quissimam inter illos fuisse, testatur R. ABEN ESRA, *præf.*

Comment. in libr. Esther, vbi inquit: **וְלֹא קָרָא הוּא מִקְומֵת בַּעֲבוּר שֶׁבֶת מִקְומֵת מִלְחָמָה כְבוֹדוֹ** Prisci nobis Rabbini b. m. vocauerunt eum locum, propterea, quia omnis locus est plenus gloria eius. Plura Rabbinorum loca, vid. apud IOH. BVXTORFFIVM in lexico Rabbinico f. 2000. adde IO. PASCHIVM Diff. de loco Thes. II. §. 10. nec non Cel. CHRIST. MATTH. PFAFFIVM in Diff. Anti Baeliana II. p. 19. sq. & qui primo loco nominandus fuisset, Cel. IOH. LAVRENT. MOSHEMIVM, in not. ad RVD. CVDWORTHII *Systema intellectuale*, Cap. V. Sect. III. §. VIII. p. 1013. vbi in primis Philonis Iudaei adducit testimonia. Non tamen hanc ipsam errore carere sententiam, ex dictis patet. Conf. & PETRVS POIRETVS, in Obiect. & Resp. Cog. Ration. de DEo anima & malo. p. 742.

§. XXVIII.

DEus Ex eadem simplicitatis DEI notione fluit, cum vbi omniprae- que totum praesentem esse debere (§. 18). Sed extensio, sens est sine quae divisionis fundamentum est, nihil confert ad praediffusione. sentiam (§. 11. 12). DEus ergo est omnipraesens, nec tamen vbiique diffusus, ita vt altera sui parte hic, altera alibi praesens esset; sed totus vbiique praestō est (§. 24.), & quidem simul, non successiue (§. 20).

Eandem propositionem, Cel. WOLFFIVS *Theol. Natur. Part. I.* §. 1049. deriuat, ex unitatis DEI notione: opposita vero in primis est, foedissimo illi. SPINOZAE errori, quo extensionem ad attributa DEI, DEumque ipsum rem extensam vocat. Vid. *Eius Oper. Posth. Erb. Part. II. Prop. 2. p. 42. Conf. & Epist. LXVII. p. 593.* Non primum vero fuisse SPINOZAM, qui talia statuerit: ex veterum Philosophorum effatis luculentius expavit IO. FRANC. BVDDAEVS, in Diff. de Spinozismo ante Spinozam. PYTHAGORAS, teste LACTANTIO, de falsa relig. Lib. I. Cap. 5. & de ira DEI Cap. II. DEum definiebat per animum per uniuersas mundi partes permeantem, atque

atque diffusum. Ita & ARATVS vers. 2. sq. Tom. I. Collect. Poet. Vet. p. 619 de DEo loquitur:

μεσαι δὲ Διὸς πᾶσαι μεν ἀγγεῖ
Πᾶσαι δ' αὐθεώπων ἀγοράνται μεσῆ δὲ Θάλασσα,
Καὶ λιμένες πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.

plena vero Iouis omnia quidem compita,
Omnes vero hominum coetus: plenum vero mare,
Et portus: ubique autem Ioue indigemus omnes.

Et VIRGILIVS Georg. Lib. IV. vef. 221. sq. inquit:

D'Eum namque ire per omnes
Terras trattusque maris, coelumque profundum.
& Eclog. 3. vers. 60.

Iouis omnia plena.

Nec aliter Stoici de omnipraesentia DEI sentiebant; erat enim illis influxus aetheris, siue vniuersalis, quam statuebant, mundi animae, in omnes materiae partes. Conf. THOM. GATAKERVM in Not. ad MARC. AVR. ANTONI-
NI Lib. IV. §. 23. 40. IAC. BRVCKERI otium Vindice-
licum Mel. II. §. 10. p. 165. sq. adde laudatam BVDDEI dis-
sertationem, de Spinozismo ante Spinozam §. 18. p. 341. Quid est
DEus? inquit, SENECA, Quaest. Nat. praeſ. Quod vides,
totum, & quod non vides, totum. & Lib. IV. de beneficiis
Cap. 8: quoconque te flexeris, ibi D'Eum videbis occurrentem
tibi, nihil eo vacat, opus suum ipse implet. Vide & Epist. XLI.
XCIV. Quaest. Nat. Lib. II. Cap. 45. M. AVREL. ANTO-
NINVM de seipso ad seipsum Lib. VIII. §. 54. ARRIANVM.
Diff. Epist. Lib. I. Cap. 14. cet. de quibus Philosophorum effatis,
recte monet PETR. BAYLIVS, in Contin. des pensées di-
verses à l'occasion de la Comète, Tom. II p. 498: les Auteurs
Chrétiens recueillent comme de la manne tous les passages de
cette nature, à fin de prouver, que nos grandes vérités ont été
conservées aux Gentils, mais ils devoient prendre garde, que toutes
ces expressions sont fondées sur le principe très impie, ou que le
monde a été formé de la substance de Dieu, ou que Jupiter le
plus grand des Dieux n'est autre chose, que le ciel matériel.

Sed & inter recentiores IOSEPH. RAPHSON (cui praeclusit HENR. MORVS in *Enchiridio Metaphysico, Part. I. Cap. 8.* Opp. *Pbil. Tom. I. fol. 168.*) spatium reale, pro ente actu existente, atque attributo diuino habuit. Conf. eius *conamen Mathematico - Physicum, de spatio reali, seu ente infinito, Cap. 5.* Et IO. ANDR. BVTTSTETT, in den vernünftigen *Gedanken über die Natur Gottes Sect. II. Cap. 3.* omnipraesentiae diuinae essentiam, in extensione constituit, quam tamen extensionem, *essentialē seu entitatiuam sine partibus*, vocat, & a corporum extensione accidentalī per partes, distinguit. Nos vero, dum eiusmodi negamus in DEo extensionem atque diffusionem, non aduersamur sacrae scripturae, quae DEum omnia implere pronunciat. Deus enim omnia implet creaturis, quibus existentiam largitur, eandemque conseruat; id quod etiam vocabuli πληρός confirmat significatus, quippe quod & replere aliquid, vbi antea nihil erat, & supplere atque perficere denotat. Conf. IO. CONR. SCHWARTZII *Commentar. Critic. linguae Graecae*, p. 112. sqq.

§. XXVIII.

Corpus per se, & suam naturam, omnipraesens esse nequit.

Quicunque cogitat ens finitum, ille eius simul co-gitet limitationes, necesse est (per princ. Metaph.). Omne itaque corpus, suas habebit limitationes: hoc est, non omnes simul possidet, nec possidere potest, realitates. Quum vero in corpore vel extensio considerari possit, vel vis agendi (§. 4.); limitatum erit, non solum respectu extensionis, quatenus eius partes augeri, vel minui possunt, sed in primis respectu vis & efficaciae suae. Simplicia enim, ex quibus constat, & unde eius vnicē deducenda est vis (§. 17.), gradu efficaciae suae, a se inuicem differunt; ast, quo usque finita manent, nunquam supremum eiusdem attingere possunt gradum, nisi dicere velis, finitum simul infinitum esse posse. Ast, quocunque demum finitum alii

alii addas finito, non nisi finitum itidem oriri potest (per princ. Metaph.). Iam ergo singas, quotcunque velis vires insigni efficaciee gradu alias superantes, combinatas; non tamen, nisi vis adhuc limitata exsurgere poterit. Quum vero corpus praesens sit, quatenus vi pollet (§. 16.), vim autem habere limitatam, ita inhaereat primo corporis finiti conceptui, ut nihil possit magis (per demonstr.), sed omnipraesentia inuoluat vim absolute summam (§. 20.): corpus per essentiam & naturam suam, non potest esse omnipraesens, seu quod idem est, contradictionem inuolutum omnipraesentia cum notione corporis finiti, qua talis.

Nec itaque per ipsam omnipotentiam diuinam fieri poterit, ut corpus finitum qua tale, omnipraesens esset; DEus enim, per omnipotentiam suam, non nisi possibilia facere potest, quae contradictionem non inuoluunt (§. 22.). Consilio vero dixi, omnipraesentiam contradictionem inuoluere, cum notione corporis finiti, *qua talis*, id est, quatenus in se, & solitarie consideratur, & finitum est; in subsequentibus enim ostendam, quo respectu corpus, salua finitudine sua, omnipraesens dici queat.

§. XXX.

Quum nec corpora, nec simplicia, quae illa consti- *Solus DEus*
tuunt, omnipraesentia dici possint (§. 29.); nec aliae sim- *natura sua*
plicium species finitae, omnes realitates, omnemque vim, *est omni-*
salua finitudine sua habere possint, (demonstratio enim *praesens*.
modo suppeditata, ad omnia simplicia finita quadrat) ni-
hil vero sit in vniuerso, praeter simplicia & corpora (per
princ. Metaph.); solus DEus natura sua erit omniprae-
sens (§. 24.).

Non absolute dicimus, solum DEum omnipraesentem esse, sed
DEum solum *natura sua* omnipraesentem esse: per commu-
nicationem enim, quis recipere potest, quod per se, & sua na-
tura

tura non habet. Disquirendum ergo iam erit, an entibus finitis, speciatim corporibus, omnipraesentia, quam per se, & sua natura non habent, communicari possit?

§. XXXI.

Vnio quid? *Vnita* dicuntur A & B, si ita vnum euadunt, ut ex A intelligatur, cur aliquid in B. possibile sit, aut fiat, cu*Vnio realis* ius ratio in ipso B non continetur. Quum vero vis sit *gnid?* continuus agendi conatus (§. 4.), si duae, aut plures vniuntur vires, *vnio* oritur *realis*. In vniione ergo reali, ex *vna reali sequi-* vi intelligitur, cur aliquid per alteram possibile sit, vel fiat, *sur com-* quod alias per illam possibile non fuisset, fierique nequiusset: veri nominis itaque non esset *vnio*, nisi vna vi*rum vnitarum* aliquid iam praestaret, quod per naturam suam, praestare alias non potuisset, cuius proinde ratio in altera demum continetur. Vnde patet, in vniione reali, alteram virium, alteram perfectiorem semper reddere debere, id quod *communio*, sive *communicatio* adpellatur.

Varia, quae hanc vnionis atque communionis confirmant notionem, exempla, conferri possunt apud Cel. ISR. THEOPH. CANZIVM in *Iurisprud. Ciuit. DEL publica*. §. 241. p. sqq. & in *maniffa notionum*, huic trattatui annexa §. 137. sqq. Nobis, vnicum vnionis inter animam & corpus, sufficit exemplum, Namirum, anima corpori vnta dicitur, quando ex mutationibus vis animae repraesentatiuae intelligitur, quomodo haec illaeue potius, prae aliis mutationes, in corpore consequantur, quod ipsum ex vi corporis motrici, intelligi nequit: & vice versa, quando ex mutationibus, per vim corporis motricem productis, intelligitur, quare anima hoc vel illud cogitet. Quum vero hac ratione duae vniantur vires, vnio inter animam & corpus est realis. Est vero & quedam inter animam & corpus communicatio; scilicet, si anima sentit, hoc ex ipsa anima explicari nequit, nisi adsumas vim corporis, qua idea materialis obiecti quod sentimus, in cerebro formatur. Vtraque

que ergo virium, id, quod suum est, confert ad sensationem; nisi enim in corpore formaretur idea materialis, anima forma-re nequirit ideam sensualem. Similiter, quando motus ve-hementior, v. g. sanguinis, oritur in corpore, hoc, ex ipso corpore explicari non semper potest, nisi adsumas, atque si-mul consideres, inclinationem animae intensorem. Adeoque vtraque virium, aliquid confert ad motum sanguinis; nisi enim in anima adesset inclinatio intensior, nec in corpore (iisdem manentibus aliis eiusdem circumstantiis,) oriri posset motus sanguinis vehementior. Inprimis vero, haec ipsa com-municatio conspicua est, in relatione mutationum, erga se in-uicem. Vti enim mutatio vna in corpore, fundata est in alia, atque ad eandem certam habet relationem, ut vel maior sit vel minor, ita & respondent mutationes, atque perceptiones in anima, quae eandem erga se inuicem habent relationem, co-dem modo fundatae sunt vna in alia, & secundum eundem gradum, vel vehementiores sunt, vel remissiores. Quo maior vero haec ipsa virium est communio, eo arctior quoque vnio est.

§. XXXII.

Si duae vires vniuntur, per communicationem vna *Quaenam* per alteram praefstat, quod sibi, in se & solitarie spectatae, *vniuersitatem* impossibile antea erat (§. 31). Sed sublata rei essentia, *se possint,* tollitur res ipsa (per princ. Metaph.), sublata vero re, ratio *quaesque minus?* in illa amplius esse nequit, eius, quod in altera re, cui vni-ri debet, deprehenditur, id quod per se patet. Per vni-
nem ergo, essentiae rerum quae vniuntur, non tolluntur; sed communicatione quadam facta, quasi perficiuntur. Quum igitur praedicta impossibilitas, absoluta esse nequeat, sed hypothetica (per princ. Metaph.); altera virium vni-tarum tollat conditionem, necesse est, sub qua altera ali-
quid praestare nequit. Quaecunque vero rei absolute &

D

per

per essentiam suam repugnant, nec communicari cum eadem possunt.

Quum cogitatio corporibus, veluti compositis, competere nequeat, per essentiam suam, quippe quae consistit in modo compositionis (per princ. Metaph.); liquet, nec scientiam, nec profunde omniscientiam, cum corporibus, vel per ipsam omnipotentiam diuinam, communicari posse; id quod in primis notandum, contra IOAN. LOCKIVM de *intellectu humano Lib. IV. Cap. 3.* & qui hunc multo audacior sequutus est, VOLTAIRIVM in *lettres écrites de Londre sur les Anglois, Epist. XIII. p. m. 57. sgg.* collat, cum epistola gallica, apud Summe Rev. REINBECKIVM, ad calcem der *Philosophischen Gedancken über die vernünftige Seele*, cum solidissima Viri Celeberrimi confutatione inuenienda. Conf. & DITTON's *Dissertation on that question, whether consciousness and thought can be result of meer matter and motion* Lond. 713.

§. XXXIII.

Vis infinita Vis infinita non ita aduersatur finitae, vt haec cum atque finita illa consistere non amplius possit, sed gradu tantummodo inter se differunt; nec contradictionem inuoluit, vim finitam & infinitam concurrere posse ad aliquid efficiendum, id quod per se patet. Vis ergo infinita & finita, vniri poterunt (§. 31. 32).

Vis finita igitur & infinita, non erunt ideae *repugnantes*, quae in eodem subiecto consistere nequeunt, sed *disparatae*, quae simul stare possunt (per princ. Logica). Si obiicis, vim infinitam omnia iam per se praestare, nec quicquam ei, per vim quādam finitam accrescere posse; hoc quidem concedo, sed nihil tamen minus certum est, vim infinitam, miro modo perficere posse finitam, ita, vt ex illa intelligatur, cur aliquid per hanc fiat, quod huic in se & solitarie spectatae, impossibile alias fuisset. Nonne vero si tale quid contingere, veri nominis oriretur *vnio* (§. 31.)? Exemplum rei lucem adfundet. Ignis per naturam suam vrit, & lucet. Ex ferri vero natura,

intel*

intelligi nequit, lucendi atque vrendi facultas: Interim neutrum ferri essentiam tollit. Licet ergo ignis, iam per se, effectum vrendi & lucendi praestare possit, nihil tamen impedit, quo minus cum ferro vnitri possit, hocque vrens & lucidum reddere. E contraria parte, igni competit, quod sit leue, ferrum autem, per essentiam suam, determinatam habet grauitatem specificam, hinc, si ei leuitas communicaretur, ferrum non amplius esset ferrum; patet ergo, leuitatem cum ferro communicari non posse. Quum vero ipsa vis ignis, finita sit, non nisi finitas & determinatas qualitates suas, cum ferro communicare potest. Ast, si loco ignis, substituas vim infinitam, erit id, quod cum tali vi vnitur, infinitis facultatibus operandi praeditum, modo essentiam suam non tollant.

§. XXXIII.

Corporibus per essentiam suam, competit vis (§. 5). *Omniprae-*
sentia non
 Quum vero in definitione corporis, quantitas vis, qua praesentia non
 ditum esse debet, nondum determinetur, quantitas vis, qua tollit con-
 corpus gaudet, modus tantummodo erit, qui diuersimode *ceptum*
corporis,
abstrakte
spectati.
 variare potest. Corpus ergo, quod magna pollet vi, cor-
 pus itidem erit, atque illud, quod parua tantum gaudet efficacia. Patet ergo, nec maximum intensionis gradum, siue vim absolute summam, corporis in abstracto considerati, tollere essentiam (per demonst.). Quum vero omnipraesentia, sit efficacissima vis absolute summae, in omnia operatio (§. 20.), corpusque praesens sit, quatenus vi pollet (§. 16.): nec omnipraesentia tollit conceptum corporis in abstracto spectati.

Nimirum corpus definitur (§. 5.), quod sit extensum vi praeditum. Corpus ergo omnipraesens, erit extensum vi absolute summa praeditum (§. 20. 4). Manet ergo prior definitio, adiecta modo noua determinatione, vnde noua oritur species,

sub genere corporum comprehensa (per princ. Log.), id quod
longe pluribus, si opus esset, illustrari posset instantiis.

§. XXXV.

*Corpus per
unionem vi in-
finita,
omniprae-
sens esse
potest.*

In praecedentibus demonstrauimus (§. 29), contra-
dictiorum esse, corpus finitum cogitare, idque omniprae-
sentiam, notioni corporis abstracte considerati non re-
pugnare: patet, impossibilitatem omnipraesentiae corpo-
rum (§. 29.), hypotheticam tantum esse, non absolutam;
conditio enim, est finitudo (per princ. Log.). Ast, quic-
quid vi cuidam hypothetice tantum impossibile est, per
aliam vim eidem vnitam, si ista tollitur hypothesis, fit
possibile (§. 32). Praeterea, vis infinita, nec tollit conce-
ptum corporis qua talis (§. 34.), nec eius obstat finitudo
(§. 33). Cum corpore ergo vniri poterit vis infinita, at-
que hac ratione, tolletur respectus finitudinis, id est hy-
pothesis, sub qua corpus alias omnipraesens esse nequivat
(§. 29. 32). Quum vero ex vnione sequatur communio
eorum, quae essentiam alterutrius vnitorum non tollunt
(§. 31. 32.): vis infinita corpori per vniōnem iam compe-
tet (per demonstr.). Sed corpus praesens est, quatenus vi
pollet (§. 16.): vis infinita vero constituit omnipraesentiam
(§. 20). Corpus ergo, per unionem cum vi infinita, omni-
praesens esse potest.

Solam hic omnipraesentiae corporis adstruimus possibilitem, le-
gitimasque inde inferimus consequentias, ne inter *contradictoria*
referantur, quae, si notiones rite euoluantur, nullam inuoluunt
contradicitionem. An vero tale reuera existat corpus, ex vi in-
finita secum communicata, omnipraesens: ex principiis phi-
losophicis determinari nequit.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Ex vniōnis notionē (§. 31.) suppeditata, liquet, duas *Hinc corp-
vires vnitatis, post vniōnem, non amplius ut separatas consi-
derari, sed vnum quoddam constituere suppositum. Quic-
quid ergo vna ex illis operatur, non solum totum suppo-
situm, sed etiam, si illud essentiam alterius non tollit (§. 32.)*
*ob communionem (§. 31.), alterum quoque operari, recte
dicitur; non quidem per se, sed respectu demum vniōnis,
atque communionis. Si igitur vis infinita cum corpore
vnitur, non solum dicere possum, totum suppositum, cor-
pus cum vi infinita coniunctum, est omnipraesens; (to-
tum enim minus habere nequit, quam pars:) sed, quum
omnipraesentia notionem corporis abstracte spectati, non
tollat (§. 34.), ipsum corpus est omnipraesens.*

Subiectum, cui tribuitur omnipraesentia, non est *vis finita cor-
poris*, quod omnino contradictorium esset (§. 29.); sed gene-
ratim, *corpus*. Non enim dicimus, vis finita corporis est
omnipraesens, sed corpus est omnipraesens. Ita, in exemplo
(§. 33.) suppeditato, non dicimus, particulae ferreae, quatenus
igne carent, vrent vel lucent; sed in genere, ferrum vrit atque
lucet, licet hoc fiat mediante igne, secum communicato.

§. XXXVII.

Solus DEus, natura sua est omnipraesens (§. 30.); *Differentia
corpus vero, eatenus tantummodo omnipraesens est, qua
tenus cum vi infinita vnitur (§. 35.), quum alias eius natu-
tura, i. e. vis, finita sit (§. 29.). Omnipraesentia er-
go, quam corpus habere potest (§. 35. 36.) non est ex na-
tura corporis, sed ex natura diuina, secum vnta (§. 31.):*
*hoc est, corpus per vniōnem cum vi infinita, omnipraesens
est, non naturali, sed diuina omnipraesentia.*

Idem & sequentem in modum exprimi solet : omnipraesentia non competit corpori *inhaesue*, *subiective*, vel *formaliter*. Non *inhaesue*, quia eidem per essentiam atque naturam suam non competit. Non *subiective*, quia proprium omnipraesentiae subiectum, est diuina natura. Denique, nec *formaliter*, quia non pertinet ad determinationes essentiales corporis ; quae omnia, ex dictis satis clara sunt.

§. XXXVIII.

*Omniprae-
sentia cor-
poris est
miracu-
lum.*

Ex Essentia & natura corporis qua talis, explicari nequit, quod sit omnipraesens (§. 29.), deriuandum hoc enim est ex natura diuina, corpori vniata (§. 37). Sed quicquid ex essentia & natura rerum in vniuerso, explicari nequit, miraculum est (per princ. Metaph.). Omnipraesentia igitur cum corpore communicata, inter miracula referenda erit.

Non ergo, nisi ob causas grauissimas, corpus cum vi iefinita vniiri, adeoque omnipraesens fieri potest. Miracula enim, salua sapientia diuina, non nisi ob rationes satis ponderosas, in primis vero ciuitatis DEI commodum, patrari solent (per princ. Theol. Nat.).

§. XXXVIII.

*Corpus
omniprae-
sens, omni-
bus in vni-
uerso rebus
indistincter
adest, inque
illas agit.*

Quum ad quamlibet corporis praesentiam, non solum pertineat operatio, sed substantiae etiam *adiacens* (§. 36.), omnipraesentia vero, sit species praesentiae (§. 20.); pater, corpus, quod omnipraesens est, omnibus in vniuerso rebus, substantia sua *adiacens* adesse, inque illas operari debere (§. 19).

Notandum vero est, nos, quando statuimus *adiacens* substantiae corporis omnipraesentis, ab omnibus in vniuerso rebus, non solam intelligere, substantiam corpori propriam, quam per se, & suam naturam habet ; sed illam quoque eius substantiam,

tiam, quam post vniōnem cum natura diuina, quatenus cum illa vnum enasit suppositum, iamiam obtinuit. Vis enim substantiam corporis constituit (§. 6). Quando igitur vis diuina & infinita, cum corpore communicatur, substantiale quid corpori accedit, quo ipso, substantia eius perfectior redditur, ut omnibus in vniuerso rebus indistanter adesse, nec quicquam fangi possit, inter hancce corporis substantiam, atque rem, cui praesens est, intermedii.

§. XXXX.

Corpus, si omnipraesens est, non propria, sed divi- Corpus
na, vbiue praesens est omnipraesentia (§. 37). Quum omniprae-
vero omnipraesentia DEI non inuoluat, vt loco isto, vbi sens, non
praesens est circumscribatur (§. 27.); patet, nec corporis circumscrī-
omnipraesentiam ita sese exferere, vt corpus a quolibet
loco circumscribatur.

Licet enim corpus, quatenus corpus est, semper in loco sit (§. 8.) non tamen, quae vulgo adpellatur, circumscribibilitas in certo loco, ad praesentiam aliquid confert, si vel naturalem eius consideres praesentiam (§. 16). Sed accedit, omnipraesentiam corpori naturalem non esse, sed ex vniōne demum fluere, cum natura diuina, quae omnem excludit localitatem, locique circumscribibilitatem. Prins, corpus per vniōnem recipere nequit, alias enim eius tolleretur essentia, posterius autem, quia ei competit, dubitari nequit. Non enim negamus, corpus illud, quod omnipraesens est, in certo quoque esse loco; communicatio enim vis infinitae, non tollit corporis extensionem, eiusque limitationem (§. 31. 32). In illo igitur loco, praesentia sua naturali, agit in obiecta, quibus praesens est, & quidem vi sua finita atque limitata, & ab illis rursus reagit in corpus. Ast, quando omnipraesens dicitur, tunc sola vis in censem venit, quatenus vi infinita secum communicata, ad maiorem perfectionis gradum eleuata est: extensio vero, plane excluditur, quae sola efficit, vt corpus sit in loco (§. 9.). Du- bium

bium formari posset: corpus, hoc pacto simul esse finitum, & infinitum. Sed nemo non videt, non uno respectu corpus dici finitum atque infinitum. Finitum est, respectu praesentiae suae naturalis, infinitum vero, respectu communicatae secum omnipraesentiae, ut itaque veri nominis non adsit contradicatio. Si extensionem species, qua in loco est, est manetque finitum; ratione vis vero, diuerso iterum respectu, finitum est, & infinitum. Si solam eius species vim naturalem, itidem finitum est. Ast praeter hanc ipsam vim, alia adhuc pollet vi infinita, secum communicata, ita ut quasi compositum sit, ex vi finita & infinita. Et respectu huius, omnino infinitum est. Quemadmodum enim compositum, ex partibus constat simplicibus, & simplicium aggregatum est, adeoque respectu unius partis, simplex dici possit, respectu vero totius aggregati, compositum; ita & corpus respectu partis, vis scilicet illius, quae per se & suam naturam pollet, est finitum, respectu vero totius vis suae, infinitum. Verbo, finitudo & infinitudo sunt ideae disparatae (§. 33.) quae de se inuicem adfirmari possunt in concreto, semper vero de se inuicem negantur in abstracto Conf. Cel. REV SCHII Logicam Cap. I. §. 48. Quanauis vero caeteroquin corpus omnipraesens, aequali iam gaudeat, ac ipse Deus infinitate, non tamen aequaliter: Deo enim competit infinitudo, per se & suam naturam, corpori vero, tantummodo per communicationem.

§. XXXI.

Omniprae- Deus dum omnipraesens est, totus ubique praesens *sentia cor-* est, sine diuisione, vel diffusione (§. 28). Quum vero cor*poris conci-* poris omnipraesentia, sit omnipraesentia diuina (§. 37.); *pi debet,* corpus dum omnipraesens est, omnipraesens erit ubi*sine diffu-* que totum; id est, tota vis corporis, omnipraesens est *sione atque* ubique, nec omnipraesentia corporis, totius diffusionem, *diuisione.* vel partium inuoluit diuisionem, ita ut altera corporis pars hic, altera alibi praesens esset.

E. falsa

E falsa praesentiae notione, qua extensio, & quae ex extensione fluunt, praesentiam constituere præsumuntur, dubium semper oritur, quomodo id, quod limitata gaudet extensione, omni-praesens esse possit. Sed, satis superque, in tota hac dissertatione inculcauimus, extensionem nihil facere ad praesentiam, nec proinde corpus præsens esse, quatenus extensem est; sed quatenus vi pollet agendi. Haec sola, praesentiam constituit, haec, vti (§. 40.) demonstrauimus, sua quidem natura, finita est, ast, in communione cum vi infinita, infinitaque natura diuina, infinita itidem dicenda, hinc, & infinitis effectibus præstandis par est. Totum vero illud, ex vi finita & infinita constans, omnibus & singulis rebus præsens est, sine diuisione, atque modo quantitatuo. Abstrahendum ergo est a sensibus. Quum enim nullum corpus videamus, nisi quod extensione gaudeat, difficillime nobis concipere possumus, quomodo tale corpus, ubique præsens esse possit; extensio enim est limitata, atque ubiquitatem loci respuit. Ast, quum DEum salua simplicitate sua, non aliter omnipraesentem nobis concipere possimus, nisi per vim suam infinitam, quae tota se se ubique exserit; nescio, quare alium praesentiae modum fingere velimus, corporis, cui iam talis vis diuina atque infinita, per unius gratiam competit. Egregie AVGVSTINVS de praesent. DEI ad Dardanum Cap. 4. Epist. CLXXXVII. p. 681. Opp. Tom. II. edit. Benedict. in genere de omnipraesentia monet: *in eo ipso, quo DEus dicitur ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens a corporis sensibus auocanda, ne quasi spacio magnitudine opinemur, DEum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur est.* Idem vero obseruandum est, si omnipraesentiam corporis cogitare velimus: id quod ex dictis liquet.

§. XXXII.

Quum praesentiae gradus diuersimode variare possint, ita, vt unica res plus minusue præsens esse possit

E

*Nec tollit
peculiarum
corporis
præsen-
tiam,*

(§. 19), tamen,

34 DE OMNIPRAESENTIAE AD CORPVS RELAT. &c.

(§. 19.), imo ipse DEus solum omnipraesentia sua , quibusdam rebus peculiariter praesens, recte dicatur (§. 25.), corpus autem omnipraesentia Diuina ubique praesens sit (§. 37.): patet, corpus per communicatam secum omnipraesentiam, omnibus quidem rebus praesens esse , ita tamen , ut quibusdam peculiariter praesens esse queat , hoc est, vim suam magis ad illas exserat , quam quidem ad alias.

Conclusio.

Haec sunt , quae ex principiis philosophicis de omnipraesentia corporis eruere licuit, quae , si ad Theologica applicare velimus, haud parum lucis illis adfundere poterunt ; sed reciproce etiam, eo maius inde fortientur lumen, quo certius ab actuali, ad possibile concludere valemus. Quae enim de possibili corporis dicta sunt omnipraesentia , unicum illud, idque nobilissimum confirmat exemplum , quod in Theologicis praeante reuelationis luce , nobis exhibetur. Nos philosophicis contenti, Theologica merito praetermissimus , ne falcam in alienam segetem mittere, videremur.

S. D. G.

